

Pag.	Lin.	ERRATA CRAVIORA.	CORRIGE.
4	3	tractores	tractatores
31	30	traditur	mentis
33	3	mensit	nec
71	14	e ne	jacturas
79	22	jactura	animæ
90	26	anima	compositam
95	30	compositam	constitui
101	12	constituit	tria dumtaxat
101	ad marginem	traumtaxat	operationum
117	21	operativonum	varietatem
117	21	arietatem	substantiarum
121	24	substantilarum	est
154	30	et	Quando enim
157	2	Quando nim	illas specificabuntur
209	35	illaspecificabuntur	fruticibus
244	15	fruticibus	integritatem
255	ult.	integritatem	peniteret
273	37	peniteret	foret
320	28	boret	secundum
343	3	secundam	orbito-occipitali
403	14	orbito-occipitali	connectentem
408	27	connectens	planc
528	11	plenc	carpere
538	14	carpore	inchoationibus
582	9	inchoationibus	artificialis
583	2	artificiales	Libri
590	28	Litri	functionum
599	7	functionem	illac
639	16	illa	imminentes
639	19	imminentes	explicatio postulat existentiam
643	20	explicatio existentiam	de
687	15	ed	fecundationem
691	15	fecundationem	circumstantis
759	29	circumstantis	passim
764	15	passim	etiamsi
764	29	entiamsi	De ceteris
796	22	De tactu	odoratum
796	34	adorantium	accipiunt
866	24	accipiunt	

PSYCHOLOGIA

SEU

ALTERA PARS PHILOSOPHIÆ NATURALIS.

1. Quæ in *Cosmologia* disputata sunt, communia fere sunt corporibus omnibus mundanis, ac potissimum iis, ex quibus hæc nostra tellus, in qua habitamus, coalescit-quamobrem ordo tractationis postulat, ut in hac altera parte naturalis Philosophiæ præcipuas corporum varietates, philosophica dignas consideratione, persequamur, cæteris omissis, quæ ad *Physiologiam* aliasque disciplinas spectant. Notissima est ea, quæ Linneo tribuitur vulgo, corporum divisio in tria illa superiora genera vel *regna*, minerale, vegetale et animale, cui multi addunt *regnum* humanum (1). Corpus enim ex communi, eaque vera, Scholasticorum sententia primo dispescitur in organicum vel animatum seu vivens et inorganicum vel inanimatum, sub quo continentur omnia mineralia; compertum namque omnibus et exploratum est, satsique, opinor, ex probatis in *Cosmologia* (2) infertur, non omnia mundana vel terrestria corpora vita prædita esse. At in viventibus non minus vel ipsa experientia innotescit magnam existere varietatem cum in externis lineamentis et characteribus, tum in facultatibus operationibusque: quare corpus vivens vel animatum jure merito distingui solet in vegetale et animale, hoc autem rursus in rationale vel hominem et irrationale; et sic quadruplex illud

Vulgaris
divisio corporum
in tria regna
vel subterras
genera.

(1) De qua divisione deque illius origine ac variis modis fuse scribit Geoffroy Saint-Hilaire, *Histoire naturelle generale des regnes organiques*, tom. 2, chap. 2.

(2) Vide *Cosmolog.* num. 33, pag. 83 seqq.

habetur vulgaris divisionis regnum. Cæterum sic Auctor naturæ diversitatem istam corporum comparavit, ut viventia præter communes etiam non viventibus perfectiones, aliis gaudeant præstantioribus, pro suo quodque gradu, attributis. Id quod pulcherrime declaravit magnus Augustinus, loquens de homine, qui caput est visibilis creationis. *A Deo habemus, esse, quo sumus; quia quod nihil non sumus, nisi a Deo, a quo habemus? Sed sunt et ligna, sunt et lapides: a quo nisi a Deo? Nos ergo quid plus? Non vivunt ligna (id est cæsa) et lapides, nos autem vivimus. Sed adhuc nobis id ipsum vivere cum arboribus frutetisque commune est. Dicuntur enim et vires vivere: nam si non viverent, non scriptum esset: Occidit in grandine vineas eorum (1.) Vivit, cum viret; arescit, cum moritur. Sed vita ista non habet sensum. Quid nos amplius? Sentimus. Quinquepartitus notus est sensus: videmus, audimus, olfacimus, gustamus, tactu etiam per totum corpus nostrum mollia dijudicamus et dura, aspera et lenia, calida et frigida. Est ergo in nobis sensus quinquepartitus. Sed hunc habent et bestię. Habemus ergo aliquid amplius nos? Et ista tamen, quæ enumeravimus, fratres mei, si consideremus in nobis, quantam de his gratiarum actionem, quantam Creatori laudem debemus! Sed tamen amplius quid habemus? Mentem, rationem, consilium, quod non habent bestię, non habent volucres, non habent pisces: in eo facti sumus ad imaginem Dei (2).*

Verum quia quæcumque ad regnum minerale speciatim pertinent, tractari solent in variis physicis disciplinis, nec habet præterea quidpiam Philosophia naturalis, quod circa illa inquirat; restat, ut de solis viventibus sit nobis agendum. De quibus amplissima quidem rerum tractandarum se offert seges, quam Aristoteles tum in libris *de Anima*, tum in libris *de Historia*, *de Partibus* ac *de Incensu animalium*, tum in iis, qui *Parva naturalia* (3) inscribuntur, tradidit,

(1) Psalm. 77, vers. 47.

(2) S. August., serm. 43 de *Verbis Isaie* cap. 7, vers. 3.

(3) Tales sunt libri de *Sensu et Sensato*, de *Memoria et Reminiscencia*, de *Somno et Vigilia*, de *Somniis*, de *Divinatione per somnium*, de *Motu animalium*, de *Longitudine et Brevitate vitæ*, de *Juventute ac Senectute*, de *Morte et Vita*, ac de *Respiratione*.

De qua re
hæc tractatione
agendum.

ac Philosophi christiani, et nominatim S. Thomas (1), Suarez (2), Conimbricenses (3), alique Scholastici præclaris commentariis illustrarunt, novisque accessionibus locupletarunt.

2. Subjectum proinde vel objectum *Psychologiæ* videtur esse corpus vivens vel animatum; mox enim probandum erit omne corpus vivens anima præditum esse. Nam quid sit de illa controversia apud veteres agitata, utrum subjectum aristotelicorum librorum *de Anima* sit corpus vel ens animatum, an vero sola anima, quæ forma est et actus tale corpus essentialiter constituens (4): omnino dicendum videtur partem istam Philosophiæ naturalis non circa solam animam, prout recentiores quidam scripsere, et nomen ipsum *Psychologiæ*, innuit, sed circa corpus animatum versari; quamquam præcipuam disputationis partem profecto vindicare sibi debet anima, quæ actus est et forma dans esse corpori viventis. Ratio autem ea est, quia tractatio, quam aggredimur, non est nisi pars quædam *Philosophiæ naturalis* (5). Ergo subjectum ejus, oportet, ut sub subjecto naturalis Philosophiæ contineatur, nempe sub *ente mobili*. Atqui anima præcise et secundum se sumpta non continetur sub ejusmodi subjecto, siquidem anima per se non est ens mobile, sed tantum principium quoddam entis mobilis; continetur autem corpus animatum tamquam genus nobilissimum entis mobilis. Id ipsum usu scriptorum et consuetudine

Objec-tum
Psy-chologiæ,

(1) In commentariis Aristotelis; et præterea, in 1 p. quest. 75 seqq.; *Question. disp.*, quest. *de Anima*, et quest. *de spir. creatur.*, etc., etc.

(2) In libris *de Anima*.

(3) In comment. in libros Aristot. *de Anima*.

(4) Qua de re vide inter alios Cardin. Tolet. (*de Anim. quæst. 4* proœmiali), Conimbricenses (*Proœm. in tres libr. de Anim.*), Rubium (*de Anim.*, quæst. 2.), Complutenses (*de Anim. disp. 1* proœm. quest. unic.), Joann. a S. Thom. (*Tertia pars Philos. natur.*, de *Ente mobili animato*, proœm.), Cardin. Aguirre (*Philosophia novantiqua seu disputationes in universam Physiologiam Aristotelis*, in proœm. *Disputationum Selectarum de Anima*).

(5) Vide quæ in hanc rem scripta sunt in *Logica*, num. 303, pag. 1023, seqq.; et in *Cosmologia*, num. 3, pag. 10., Cf. ibid., num. 183, pag. 677, ubi disputatum est, utrum anima sit *natura*.

confirmatur; nemo enim est inter graviore rei psychologice tractores, qui de sola anima, et non de composito animato agat: omnes nimirum de plantis, de animalibus, de homine disputant. Accedit, quod potentiae animae, quas fuse describendas *Psychologia* assumit, si solas spirituales, rationalis animae proprias, excipias, omnes sunt proprietates, non solius animae, sed totius compositi animati, ut ex inferius demonstrandis patebit; quae vero de anima seorsim considerata tractat, fere ad melius declarandum ipsum compositum vivens ordinantur. Id enim est proprium omnis compositae substantiae, ut cognosci bene in suo complexu et natura nequeat, donec partes ejus prius innotescant.

dignitas,

3. Hinc liquido colligere licet, quanta sit hujus scientiae dignitas et utilitas. Et dignitas quidem elucet tum ex ejus objecto, tum ex ejus certitudine. Objectum objecto dumtaxat *Metaphysicae* cedit in praestantia; ens enim animatum perfectius est ente mobili generatim inspecto, quod *Cosmologia* contemplatur, naturasque complectitur nobilissimas hujus adspectabilis mundi. Certitudo etiam demonstrationum ad plures veritates se porrigit, quam in aliis partibus Philosophiae, prout in decursu operis apparebit. Quod vero ad utilitatem spectat, scientia haec, potissimum quantum rationalem animam respicit, summum habet momentum et ad vitam probe instituendam moderandamque, et ad omnem veritatis cognitionem. Idque «suaderi amplius illustrarique ex eo potest, inquirunt Conimbricenses, quia ut celebris illa sive Chilonis sive Phemonoe aut Thaletis, vel quicumque ejus auctor fuerit, sententia foribus templi delphici ab Amphictionibus inscripta commonebat, maxime eniti quisque debet, ut seipsum norit. Nosse autem se nemo potest, nisi animi sui naturam et dignitatem perspectam habeat. Quin vero, ut M. Tullius (1) et Plotinus (2) post Platonem (3) censuerunt, non aliud delphica illa inscriptio hortabatur, quam ut animi naturam cognosceremus. Videlicet quia quisquis mentis suae vim et excellentiam spectandam

utilitas

(1) *Tusculan. question. 1 h. 1.*(2) *Lib. 1. Ennead. 4. cap. 1.*(3) *In Alcibiad. 1.*

sibi exhibuerit, intelliget non esse in fluxu et caducis bonis immorandum, sed sempiterna et divina omni studio et contentione quaerenda; in quo praecipua veri et legitimi Philosophi ornamenta consistunt. Est item doctrina haec magno usui iis, qui de communi vita et moribus disceptant, ut constat ex libro primo *Elbicornum* (1). Etenim oportet eos a *Naturali* accipere, quo pacto ratio summam arcem teneat, ut inde appetendi et irascendi vim sibi subjiciat, et insurgentes motus ad certam normam moderetur. Oportet etiam principium actionum, in quibus humanae vitae felicitas sita est, itemque partitionem facultatum, qua ad affectus et virtutes explicandas utuntur, ab eodem mutuari. Huc pertinet illa Aristotelis communitio in extremo capite libri primi *Elbicornum*, sicuti Medici, qui remedia curandis corporibus adhibent, ut munere suo probe fungantur, in animorum cognitione multum opere collocant; ita ac multo potiori ratione Philosopho civili, qui sanandis animi morbis studet, comperta esse debere, quae ad animi scientiam spectant. Ad primam vero Philosophiam mirifice confert, quatenus ab intellectu nostro ad substantias intelligibiles et a materia absolutas per analogiam quamdam similitudinemque provehimur, et humana mens se supra se convertens, a se ipsa ad divinam naturam, a qua profecta est, revocatur, et quidquid ipsa perfectionis habet, in Deo, omnium perfectionum fonte, invenit, meliori tamen nota, omnique imperfectione sublata. Denique communi ratione ad omnem Philosophiae partem opportuna est haec de animo meditatio; quia cum animus rationis consiliique particeps, ut Trismegistus in *Aselepio* ait, sit veluti orizon aeternitatis et temporis, atque intelligibilis corporeaeque naturae nexus ac confinium; vel, ut alii dixerunt, totius mundi summa, siquidem natura media extremas representat, superiorem ut imago, inferiorem ut exemplar: fit, ut animi doctrina veluti quoddam divinarum rerum et humanarum scientiae compendium existat, nosque ad omnem aliam veritatis notionem praeparet (2).

(1) *Aristot. Ethicor. libr. 1. cap. 13; et libr. 6. cap. 1.*(2) *Conimbricenses, de Anima, Proem. in tres libros de Anima initio.*

Alliæ scientiæ
affines
Psychologia.

Organo,

varii contextus
organismi,

cellulæ.
Anatomia,

Histologia,

Chimiæ organici;

harum
disciplinarum
discrimen
a Psychologia.

4. Cum *Psychologia* tenetur artissima necessitudine plures disciplinæ naturales, quæ amplissimam nactæ sunt recentioribus temporibus evolutionem, ac nominatim *Chimia organica*, *Histologia*, *Anatomia*, *Physiologia*, *Biologia*, *Botanica* et *Zoologia*. Corpus namque vivens constat organis, quæ sunt totidem instrumenta ex dissimilaribus partibus composita ad vitales functiones exercendas; organa vero ipsa ex aliis minoribus partibus affabre inter se coagmentatis, puta membranarum, musculis, nervis, ossibus, cartilaginibus, etc., conflantur: unde plures contextus distingui solent in viventibus, nempe nerveus, muscularis, cellularis, etc. Denique contextus etiam ejusmodi, ex quibus organa coalescunt, homogenei non sunt, sed ex aliis minutissimis particulis diversarum formarum, quas *cellulas* vocant, componuntur. Itaque *Anatomia* considerat coagmentationes organorum ex varii contextus minoribus partibus: *Histologia* (ab ἱστον, contextus, et λογία, sermo vel tractatus), quam haud absurde microscopicam anatomiam vel etiam partem *Anatomie* dixeris, sectatur compositionem istorum contextuum organicorum ex cellulis, fibris, variisque vasis seu canalibus, quæ propterea elementa *Anatomie* appellantur. Verum cellulæ non sunt elementa in sensu physico vel chimico (1), quia non sunt corpora simplicia, sed mixta vel chimice composita ex multis aliis simplicibus: et ejusmodi compositio ex variis atomis et moleculis, qua cellulæ et elementa anatomica constituuntur, objectum est *Chimiæ organice*. Quamquam tres istæ disciplinæ non videntur esse nisi totidem partes unam eandemque tractationem complentes, quæ notitiam præbeat totius corporis organici secundum constitutum ipsius materiale ac visibile in se spectatum. Hinc patet earum a *Physiologia* discrimen. *Physiologia* enim, licet ex vocis etymo (α φύσις, natura, et λογία, sermo vel tractatio) et usu veterum Scholasticorum (2), idem valeat, ac *Physica* vel *naturalis Philosophia*, ex usu tamen recentiorum ad eam scientiam significandam contrahitur, quæ officium organismi et functiones vel operationes organicas aut vitales

(1) Vide *Cosmolog.* num. 126, pag. 450, et num. 147, pag. 551.

(2) Vide *Cosmolog.* num. 1, pag. 5.

investigat, ideoque in idem fere recidit ac *Biologia*, quæ est generatim scientia vitæ; illæ vero aliæ disciplinæ talia in corpore organico contemplantur, quæ in mortuo etiam cadavere, quamdiu integrum manet et nondum corruptum, æque observari queunt. *Botanica* demum plantarum, et *Zoologia*, animalium biologiam tradit, ac proinde ad externam descriptionem et structuram vitalesque functiones, varia genera et indolem viventium utriusque illius regni enucleandam incumbit.

Quid autem, inquires, hæc omnes scientiæ tandem a *Psychologia* differunt? Non desunt inter recentiores, qui ita *Psychologiam* a *Physiologia* distinguant, ut objectum hujus esse velint functiones vitales, prout sunt affectiones vel modificationes organicæ, objectum autem illius easdem, prout cognitionem important, vel reflexe ab ipso eas in se habente cognosci queunt (1). Hoc tamen discrimen falsum est ex communi Scholasticorum sensu. Et ratio est, quia cum ad *Psychologiam* spectet agere de corpore animato, ea omnia tractare debet, quæ *Philosophiæ* de corpore animato investiganda sunt. Atqui *Philosophia* non debet solum investigare phænomena et functiones, quæ cognitionem important, sed alia quoque phænomena vitalia eorumque causas supremas. Et ita etiam videmus usu receptum esse apud *Philosophos christianos*; nam quamvis quidam eorum (minus quidem recte meo judicio) de viventibus irrationalibus in *Cosmologia* disputent, reservata ad *Psychologiam* sola tractatione de homine, nemo tamen tractationem de viventibus vegetabilibus ac de phænomenis vitalibus cognoscitivis aut alienam a *Philosophia* aut solius propriam *Physiologia* reputavit. Dicendum itaque censeo, simili modo se habere *Psychologiam* respectu *Physiologiæ* cæterarumque, quas nuper meminimus, naturalium scientiarum, quo se habet *Cosmologia* respectu *Physicæ*, *Chimiæ* et aliarum disciplinarum, quæ contemplantur corporibus inorganicis et inanimatis operam navant. Nimirum proprium est *Philosophiæ* supremas et altissimas rerum causas et rationes perscrutari: at supræmæ

Quid Botanica
et Zoologia:

quid hæc omnes
discipline a
Psychologia
differant

(1) Cf. Fonsegrive, *Elements de Philosophie*, I, *Psychologie*, pag. 19 seqq.

rerum rationes essentia, et intima constitutione, proprietatibus, et operationibus, ac præcipuis generibus fere continentur. Cum ergo *Psychologia* sit nobilissima pars *Philosophiæ naturalis*, oportet, ut tum animatum corpus in genere, tum ejus triplicem illam varietatem et quasi familiam, plantarum, animantium, hominis, inquirat, intimam horum viventium constitutionem, naturam, proprietates et operationes enucleando. Cætera vero proximiora magisque obvia, quæque inductione ope sensuum et experientiæ potissimum colliguntur, *Physiologiæ* aliisque disciplinis accurate ac minutatim pertractanda relinquunt.

Psychologia et naturales disciplinas mutuo se iuvare debent.

5. Quæ cum ita sint, si unaquæque harum scientiarum in suo se contineat loco, nulla inter illas esse potest pugna, dissidium nullum. Omnes enim complent unam integram et adæquatam cognitionem corporis animati quaquaversus spectati: at *Psychologia* sectatur profundiora et secretiora ac remotiora, quæque sagacem causarum inquisitionem ope ratiocinii exposcunt; cæteræ vero illa dumtaxat, quæ sensibus, saltem microscopio instructis, fere patent, et in cortice atque externa facie posita sunt. Quod si omnis initium cognitionis in nobis a sensu et experientia inchoatur, necesse est, ut *Psychologia* mutuetur a *Physiologia* et aliis disciplinis ea, quibus eget tamquam fundamentis ad suas posteriores inquisitiones aggrediendas. Quamobrem possunt, immo debent, istæ disciplinæ, si rationis ductum sequantur, amice coire, sibi que invicem auxilium ferre, si et *Physiologia* principia philosophandi certa inductione comperta et explorata suppeditet *Psychologiæ*, *Psychologia* autem *Physiologiam* regat, ejusque inventa et pronuntiata ad complementum adducat, novas inde concludens veritates, experientiæ prorsus impervias. Quod si *Physiologia* fine suo minime contenta campum *Psychologiæ* invadat, ut instar prædonis grassetur, ac depouletur, erroresse materialismi vel positivismi aut alios quosvis seminet; retundendi sunt ejus impetus, visque vi repellenda, ut veritas triumphet, rationisque recte ratiocinantis jura sarta tecta conserventur. Qua in re quis non lugeat miserandam stragem in nostra ætate ab impiis scriptoribus editam abusu naturalium scientiarum! Dum enim scholastica *Philosophia* clamoribus et conviciis novatorum exagitata,

Innoventur errores, qui ex abusu naturalium scientiarum turparunt Psychologiam.

calumniis undique impedita, e scholis exulavit, materialismus et positivismus una cum absurdo commento evolutionis caput extulere, ac per omnes scientias ope veteratorum serpere ac pene triumphare visi sunt; sicut solet zizania, cum, oscitantibus agricolis, luxuriare sinitur, triticum suffocare et corrumpere. Sane animam nihil esse aliud præter vim quamdam materialem decernit materialismus; at quoniam nullam vim agnoscit in natura corporea distinctam a motu, quid tandem secundum brutalem istam philosophandi, vel potius desipiendi, rationem anima quævis esse poterit, nisi motus quidam vel energia materiæ propria? quid sensationes ipsæque intellectiones, nisi motus quidam systematis nervei? quid denique universa vita corporum nisi affectio quædam resultans et viribus cuivis materiæ communibus, certo aliquo modo inter se compositis? Unde logice tandem concludendum foret, nihil esse vel in ipsis corporibus animatis præter materiam materialesve affectiones et proprietates. Positivismus voce quidem discrepat a materialismo, nec audeat asserveranter pronuntiare cum materialistis, nihil esse in mundo, quod materiæ conditionem superet; sed tantum profitetur id se nec scire, nec posse unquam scire, siquidem nihil cognosci a nobis valet, quod experientiam sensuum transcendat: re tamen vera eandem metam intendit, ut nempe evertat realitatem omnis entitatis, quæ experientiam superet, nec oculorum obtutibus pateat, omniaque phenomena, quæ in materia sive inerti et inorganica, sive organica, atque adeo etiam in homine cernuntur, per solas vires motusque materiæ sese per varios status jugiter evolvuntis, ac nescio qua secreta ratione transformantis, explicet. Dumque tam stolidam et absurdam operam exercent putidissimorum istorum dogmatum assertores, mirum est, quanto furore adversus Scholasticos et christianos Philosophos debacchantur; magisque adhuc mirum videri debet, quod talia effutiant sub nomine *scientiæ*, quasi ista tam immanium errorum portenta forent totidem veritates experientia et legitima inductione compertæ; ac proinde qui talia negare audeat, is in manifestam veritatem impingat, ac pene barbarus omnisque expertus eruditionis et humanitatis prorsusque in scientiis peregrinus habendus sit. Adversus